



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De magnitudine amoris Dei, 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

sarem; tu tamen dissimulabas, nec ad puniendum me accelerabas. Imo, tanquam ovem errantem & pereuntrem, ut sacris humeris imponeres, requirebas præ incomprehensibili amore, quo cuncta, quæ fecisti, amas. Gratias itaque tibi ago, & tuo immenso amori, tuaque immensa pietati & clementia; & te humili corde ac simplici precor, ut tua dilectio me non deserat, sed mecum sit, me adjuvet, & me defendat ab omni periculo animæ & corporis. Ut hic ad tuum placitum vivendo tibi semper serviam, te incessanter diligam, & tandem ad dilectionem tuam perveniam sempiternam, Amen.

C A P V T VIII.

De magnitudine amoris Dei.

I. **L**icet (Domine Deus meus) mundus in maligno positus esset, & plenus miseria: tamen pro nobis in mundum, tuum benedictum filium misisti. Imo etiam ex abundantia tui amoris, illum in infernum transmisisti, ut inde suos extraheret. Ad hoc enim misisti ipsum in mundum, ut venditus nos redimeret, occisus vivificaret, injurias passus honoraret, & in filios adoptaret. Misisti igitur Verbum tuum, misisti Spiritum tuum, promittis vultum. Et ne quid in cælestibus vacet, ad opera nostra solicitanda etiam illos beatos spiritus propter nos mittis in ministerium, & insuper humanam naturam in eadem persona divina naturæ associari voluisti. Dilexisti nos Domine gratis, morti destinatos, & vita indignos. Omnes

enim ducebamus tanquam latrones ad supplicium, quia ad infernum trahebamus. Sed filius tuus superbenedictus nobis subvenit, & pro nobis fidejussit, quem fidejussorem semper in memoria habere debemus, sicut scriptum est: *Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.*

2. Tu Domine Deus meus, præ magnitudine amoris tui, non pepercisti filio tuo unigenito, sed pro nobis omnibus illum tradidisti. Et ad te nos attraxisti, dum sororem nostram, scilicet humanam naturam, benedicto filio tuo inseparabiliter copulasti. Sic enim scribitur: *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miseratus tui.* O Domine Deus meus, ignis amoris consumens, gloriosius non potuit nubere caro nostra. Vnde, si matrimonium inter homines sic attrahit eos, ut de inimicis valde amicos faciat: quantum deberet homines id attrahere ad amandum te, quod sororem nostram, scilicet humanam naturam, tuo benedicto filio inseparabiliter copulasti? Scilicet, Domine Deus meus, ego sum ingratissimus ille, & superbissimus peccator, qui tantam ingratitudinem amoris non considerans, & tam mirabilem copulam non contemplans, me ad reamandum tuum Filium & Spiritum sanctum, unum Deum & unum Dominum, non disposui: sed ad amanda mala, noxia, & iniqua, fui multipliciter inclinatus, & illa ad effectum frequenter perduxii. Adjuvare ergo me dignare, misericordissime Domine, indultor amoris. Et dirige me, ut te super omnia

sup-
Sed
it,&
sem-
scri-
niscia-
itu-
uni-
didi-
no-
dicto-
nim-
ideo-
Deus-
osius-
ma-
s, ut-
tum-
dum-
ima-
para-
Deus-
iper-
tudi-
nira-
e ad-
san-
non-
ini-
la ad-
ergo-
, in-
super-
nnia-

omnia diligam ; & tua infinita beneficia recognoscam , mente teneam , & pro ipsis gratias tibi agam : & in fine vitam in amore mihi misericorditer concede sempiternam , Amen.

C A P V T I X.

De causa diligendi Deum.

1. **O**Misericordissime Domine Iesu Christe, causa diligendi te, tu ipse es. Et te diligendi modus est sine modo : quia cum infinite bonus sis , & omnis modus noster diligendi finitus, diligendus es supra omnem modum : Et ideo nihil te justius nihilque fructuosius diligi potest. Infinitum namque, Domine Iesu Christe , vere amantium amor, meritus es de nobis ; quia nobis immeritis temetipsum dedisti. Tu es causa efficiens & finalis amoris & dilectionis , ut occasionem habeas glorificandi nos ; quia tu occasionem das, tu affectionem creas, tu desiderium consummas. Tu enim fecisti hominem, imo factus es homo , ut te amemus. Tuus amor amorem nostrum præparat & remunerat : præcedit benignius, & expectatur suavius , & dives est in omnibus, qui invenit illum.

2. Se dat in meritum, se servat in præmium sanctorum , & se distrahit in redemptionem captivorum. Si tuum meritum queritur , illud est præcipuum ; quia tu prior dilexisti nos. Et ideo dignum & justum est, ut te redamemus : præsertim si mente humili & devota desiderare velimus tutam misericordiam , gratuitam dilectionem , inopinatam

Y 2

digna-